

TRÄGÅRD, ELIAS, HASSELBERG, JONAS, RÖSE

De poenis Hebræorum capitalibus,  
svffragante ampliss. Ordine Philos. in  
Regia Academia Gryphica, svb  
praesidio ... Eliae Trägård ... die [24]  
Septembris MDCCLXXXII pro gradu  
pvblice disseret avctor Jo

[1782]

# EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
  - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
  - *Sök:*\* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
  - *Klipp & klistra:*\* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- \*Ej tillgängligt i varje e-bok.

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>  
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.


TRÄGÅRD E

Din

F. J. L.

Grönvick





S. F. N.  
DE  
POENIS HEBRÆORVM  
CAPITALIBVS,

*SVFFRAGANTE AMPLISS. ORDINE PHILOS.*  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA,  
SVB PRAESIDIO  
VIRI AMPLISSIMI

MAG. ELIAE Trågård,  
PHILOS. PROF. REG. CELEBERRIMI

DIE SEPTEMBRIS MDCCLXXXII.

PRO GRADV

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

JONAS HASSELBERG  
Vestro - Gothus

IN AVDITORIO MAJORI

H. A. M. S.

---

GRYPHIAE

LITTERIS ANT. FERD. RÔSE, REG. ACAD. TYPOGR.



2

S. N. 2

de

POENAS HERBARUM  
CAPITULUM

EXTRACTUM  
IN FORMA  
SUB PRESSIONE

HORAT.

1 Sermon. III.

— — Adfit

*Regula, peccatis quae poenas irroget aequas.*

THE BROAD

EXILES DISTRICT

ACTOR

JONAS HARRIS

1800

IN THE CITY OF

NEW YORK

GRANT

PRINTED AND SOLD BY



V I R O

V I R O

AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

Mag. PETRO HERNQUIST,

ARTIS VETERINARIAE PROFESSORI

LONGNE CELEBERRIMO

LECTORI GYMN. SCAR. MERITISSIMO,

SYNEDRII SACRI ASSESSORI AEQVISSIMO

PATRONO SVMMO

SACRVM.

V I R O  
MAXIME REVERENDO NEC NON AMPLISSIMO  
D O M I N O  
**Mag. SVENONI SANDMARK**  
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO,  
ECCLESIAE IN RÅNGEDALA ET ADJACENTIS DISTRICTUS  
PASTORI ET PRAEPOSITO  
VIGILANTISSIMO DIGNISSIMO  
FAVTORI OPTIMO

PRO BENEFICIIS JISQVE MAGNIS IN SE COLLATIS

D. D. V.

MAXIME REVERENDI ET CELEBERRIMI  
NOMINIS

Cultor observantissimus  
JONAS HASSELBERG.



§. I.

**Q**uamdiu genus humanum existit, leges etiam, ad quas veluti normam actiones suas homines componerent ac instituerent, adfuerunt. In ipso statu integritatis, cujus per revelationem tantum divinam ad nos pervenit notitia, nequidem lege primi caruere mortales. Huius pro dolor! transgressio, vel violatio infelicibus posteris tanto duriolem legum ferendarum necessitatem, iisdemque obediendi onus imposuit. Lex sine superiore, eadem inferiores obediendi jus et potentiam habente, cogitari nequit, nec lex vocari debet, quae praemium obedientibus non promittit et poenam eandem negligentibus non minatur. Sic cum prima lege primo creatis hominibus in paradiso sancita aeternam vitam ut praemium, eam si servarent, mortem vero aeternam si transgrederentur, conjunctam fuisse itidem ex historia sacra novimus. Finito autem felicissimo isto generis humani statu, an leges, quibus data definitio competeret, latae fuerint, praeter istam cordibus hominum a Creatore inditam, est, de quo nullam habemus notitiam. Primo mortalium patri in filios, nepotes et posteros imperium quoddam competiisse verisimile mihi quidem videtur; an vero idem et cum illo conjunctum jus poenarum exercuerit merito dubitandum. In negativam sententiam cur propendeam ratio vel unica sufficere potest, quod

quod de filio suo primogenito scelerato fraticida puniendo nunquam illum cogitasse, nec hunc poenam a parente metuisse unquam legimus. Hujus vero loco maledictionem terrae colendae et exilium perpetuum Summum legislatorem ei adjudicasse, simulque in vindicationem effusi fraterni sanguinis ab aliis hominibus sibi manus inferendas hunc sceleratorum primipilum formidasse Gen. IV edocemur. Per totum temporis spatium, quod diluvium antecessit, an et quales institutae fuerint respublicae, an vero solis sub patribus familiarum mortales vitam degerint, et in societatibus istis minoribus an leges fuerint statutae, et quales illae delictis constituerint poenas, est quod docti juxta cum indoctis ignorant. At non ita multo post formidandam istam terrae nostrae *καταστροφην*, cum homines multiplicati in societates civiles coiverint, has legibus quoque instructas fuisse, quae delictis quibusvis justam animadversionem definiverunt, ipsa rerum natura neminem dubitare finit. Leges praescriptas, pro cujusvis harum societatum et gentium indole, diversas semper fuisse nemo non novit. Ex iisdem quoque major, vel minor imperantium elucet sapientia. Unde per se patet, in republica Israelitica leges, quippe ab ipso Deo latas, non potuisse non fuisse sapientissimas. Hoc, ut de reliquis praeceptis et statutis divinitus promulgatis affirmandum, ita etiam leges criminibus coerendis praescriptas optime fuisse comparatas, non est quod dubitemus, ut adeo poenae delinquentibus infligendae magis justae cogitari nequeant. Inter haec, de poenis tantummodo Hebraeorum capitalibus pauca differere in animum induxi, cum jam alterum, ut jubent constitutiones academicae, specimen sum editurus. Materiam quamvis satis amplam, quam fieri poterit brevissime ut pertractem res meae domesticae svadent, ideoque rem ipsam necessariis tantum verbis quod expediturus sim B. L. benigne interpretetur enixe rogo.

## §. II.

Poenas capitales in republica Hebraeorum quatuor tantum fuisse inter omnes rerum judaicarum scriptores convenit; nec

nec plures in scriptis Mosis nominatas invenimus; quam *lapidationem, combustionem, decollationem et suffocationem*. Ita enumerantur a Rabbini; pro decollatione autem potius dicendam crederem occisionem per gladium. His quomodo in reos olim animadvertendum fuerit, non ubique sat claris verbis lex Mosis mentionem facit. Plurima igitur, quae hic sciri desiderantur, ex Rabbiorum libris forent petenda, qui quidem satis copiose de singulis scripserunt. Et, siquidem quaestio est de argumento historico nullum caput religionis tangente, illis potissimum, quippe scriptoribus domesticis, fidem habendam esse, aequum videretur. Nihilo tamen minus quemadmodum alias ut plurimum gens ista fabulis est dedita, ita de hisce etiam nonnunquam plura et alia, quam veritas permittit, illos narrare vereor ne jure asseri queat; ut taceam, omnes hujus gentis hac de re scriptores, longe post everfam politiam judaicam vixisse. Ea igitur tantum haec sunt exponenda, quae praeunte lege Mosis certo sciri possunt et cum historia sacra proxime convenire videntur. Inter memorata quatuor supplicia aliud alio habitum fuit gravius, pro ratione nimirum delictorum, quae iisdem fuerunt punienda. Sic *lapidatio* gravissima omnium poena habebatur; proxime post hanc *combustio*, hac lenior fuit decollatio, et denique mitissima omnium suffocatio. Ideoque ubi de malefico morte plectendo scriptura loquitur, nec tamen mortis genus exprimitur, suffocationem intelligendam fuisse Doctores Judaeorum sibi persuasum habent, secundum canonem, quem ex R. Salomone affert TH. GOODWINUS (a): *omnis mors, quae dicitur in scriptura absolute, non nisi strangulatio est*. Rationem hujus canonis exhibent: quia ex quatuor istis suppliciis, minimum erat strangulatio; et ubi lex mortem non exprimit, facienda interpretatio aequa. Hanc tamen regulam non fuisse generalem laud. Auctor monstrat, ex. gr. Lev. XX, 10. lex praecipit: *Qui adulteravit uxorem proximi omnino morte plectitur adulter ipse et adultera*; Et tamen aliam poenam Deus minatur Ezech. XVI, 38. Nec non de muliere adul-

(a) in Mos. et Aaron L. V. Cap. VII.

adultera Christo dixerunt Pharifaei Ioh. VIII, 5. *Moses praecipit in lege, ut tales lapidentur.* In hoc igitur fallunt Rabbini, cum maechas et adulteros non lenissimam, sed saevissimam poenam subiisse ex dictis locis et pluribus pateat. Supplicia haec infligendi jus penes quem fuerit si quaerimus; pro diversitate temporum apud diversos id fuisse videtur. Tempore enim Ducum Mosis et Iosuae, ipsos hanc potestatem habuisse, ita tamen, ut de poenae genere DEUS consuleretur, exempla varia docent, ut maledicentis nomini DOMINI Lev. XXIV, 12. portantis ligna die Sabbathi Num. XV, 35. Achanis, qui res devotas suffuratus erat, Ios. cap. VII. et aliorum. Tempore Iudicum, post occupatam terram Canaan, jus poenarum sine dubio fuit apud seniores tribuum et constitutos cujusvis civitatis iudices, quem ordinem dudum Moses consilium Iethronis fecutus introduxerat Exod. XVIII. cfr. Deut. XVI, 18. Alias, isto tempore non admodum ordinate executionem poenarum capitalium administratam fuisse facile credendum, cum quemque tunc fecisse quod libitum erat, dicatur Iud. XVII, 6. XXI, 25. Atrocia facinora tribus Beniamini totum coetum Israelis vindicasse legimus Iud. XX. Post introductam dignitatem regiam, Reges puniendi potestatem exercuisse varia exempla in libris Samuelis et Regum, quae leguntur, commonstrant.

### §. III.

Lapidationis supplicium, Hebraeis סקילה dictum, subituri malefici varii generis fuerunt, quos ex Mose Kots *fol. 188. col. 4.* recenset cit. GOODWINUS (b) 1) concumbens cum matre, 2) aut cum patris uxore. 3) qui rem habebat cum nuru, aut. 4) cum puella desponsata. 5) aut cum mare. 6) jumento. 7) mulier, quae jumentum admittit. 8) Blasphemus. 9) idololatra. 10) qui dedit ex semine suo Molocho. 11) Pyromantis. 12) Hariolus. 13) qui palam ad apostasiam incitabat. 14) qui clam ad apostasiam incitabat. 15) magus. 16) profanator Sabbathi. 17) qui maledicit patri et matri. 18) filius contumax et rebellis. Pleraque hic nomi-

nata

(b) l. f. c.

nata crimina recensentur Lev. XVIII. ubi quidem non fit mentio puellae desponsatae; at idem illud habitum fuisse crimen ac concumbere cum uxore proximi, quod prohibetur v. 20. hinc apparet, ut et Deut. XXII, 22 et *seqq.* Poenae Cap. XX. expositae ab hisce Rabbiorum placitis, in nonnullis variare videntur, de quo infra. Lapidandi non minutis lapidum ictibus petiti necabantur, sed modus executionis talis fuit, quem ex Majmonide affert SCHICKARDUS (c). *Quatuor ulnis ante locum supplicii exuebant damnato vestes tegebantque turpitudinem ejus ab anteriori parte; at mulierem lapidandam non denudabant nisi parte modica. Porro supplicii locus altus erat staturas hominum binas, illuc adscendebat ipse cum suis testibus, habens manus antorsum ligatas. Unus testium impellebat eum circa lumbos retro, ut conversus decideret ad terram super cor suum: si inde moreretur, peractum erat, quia dicitur. (Exod. XIX, 13.) lapidando lapidabitur.* Hebraeum Majmonidis textum mutilatum transtulit auctor cit. omissa igitur addit CARPZOVIVS (d), quae itidem latine sic sonant: *Quod si vero non moreretur ex illa deturbatione, attollunt testes lapidem illic repositum, duorum hominum onus, quem alter illorum retracta manu in illius cor dejicit. Si hinc moreretur, peractum erat, sin minus ope universi Israelis lapidabatur, pro ut dicitur: (Deut. XVII, 7.) manus testium erit in eum ad occidendum eum et manus totius populi postea.* Locus, ubi hanc poenam malefici subibant, erat extra castra Lev. XXIV, 14. vel extra urbem, ut factum legimus cum Stephano act. VII, 58. Qualis locus lapidationis extra singulas urbes fuit, vid. LIGHTFOOT (e). Notandum, bruta hanc poenam etiam subiisse, quod de bove cornupta statutum legimus Exod. XXI, 28. Et observat BUXTORFIUS (f) ex *Edajot* Cap. 6. gallum gallinaceum aliquando fuisse lapidatum, quod puerum occidisset. Maleficos, qui hanc poenam subierant, etjam suspensos fuisse, exceptis tamen foeminis, Rabbinii docent. Modus in *Hal. Sanhedr. Cap. 5.* sic describitur

(c) Ius Reg. Hebr. Cap. IV. Teor. XIV.

(d) in not. ad

cit. Schick. loc.

(e) Hor. Hebr. Talm. in act. c. VII.

(f) Lex. Ch. Talm. ad r. לקט.

bitur: postquam lapidati erant infigebatur terrae palus, unde transversa trabs exibat, et colligatis manibus attracti suspendebantur prope solis occasum, mox rursus demittebantur, quia nefas est relinquere per noctem. An suspensio ista ut consequens lapidationis in lege Mosis mandata fuerit non satis liquet. Saltem non ad omnes lapidatos illam sese extendisse disertis S. Scriptoris verbis infra monstrabitur.

## § IV.

Proximum post lapidationem supplicium fuisse perhibetur **שריפה** seu *combustio*. Huic poenae destinati, iterum recensente GUDWINO (g), fuerunt: 1) filia Sacerdotis scortata. 2) qui inivit filiam suam. 3) aut filiam filiae. 4) aut filiam filii. 5) aut filiam uxoris suae. 6) aut filiam filii ejus seu neptem. 7) aut focrum suam. 8) ejusve matrem. 9) ut et matrem foceri. Modum combustionis duplicem fuisse dicunt; unde duplex supplicium hocce fortitum est nomen; erat scilicet, si Rabbinis fides habenda, *combustio corporis* altera, altera *combustio animae*. Illa fiebat lignis et fasciculis, haec vero liquefacto plumbo vel stanno ori malefici infundendo. Ritus hoc modo narrat Majmon, cit: SCHICKARDO (h): *Fimo immersum ad genua usque trahebant hinc inde mappa circa collum convoluta; donec os aperiret. Mox liquefactum stannum vel plumbum infundebant hianti, ut descendens intestina cremaret. Ut adeo nihilo minus corpus integrum maneret, quae etiam ratio erit, cur combustio animae dicta fuerit. Hunc comburendi modum usitatissimum fuisse, et a nonnullis Iudaeorum scriptoribus solum memorari ait laudatus GOODWINUS. Illam recte שריפה combustionem dici R. Majmon in comm. ad *Mischn. Sanhedrin* probare vult exemplo Nadabi et Abihu filiorum Aaronis; verba sunt: vertente CARPZOVIO s. c. *Sic accepimus exemplo filiorum Aaronis, qui non combusti sunt, ut aliquid de ipsorum corporibus exustum compareret, et nihilo minus scriptura de iis ait: (Lev. X, 6.) Deshebant combustionem, quam combussit Dominus. Talis plerumque**

mos

(g) l. f. c.

(h) l. f. c.

mos Rabbiorum per verba scripturae afferta et ritus suos probandi. Isti filii Aaronis procul dubio fulmine tacti perierunt. Quid vero similitudinis cum fulmine habet stannum vel plumbum liquefactum in os infundendum? Interitus praeterea Nadabi et Abihu praecipua Dei vindicta fuit, quae nullum Iudici praebitura erat exemplum in foro civili hoc vel illud delictum puniendi. Quin, nec duplex istud combustionis nomen *corporis* scil. et *animae* in lege Mosis invenitur, multo minus de combustionem per liquefactum metallum ibi mentio fit. Ideoque quaecunq; de illa narrant Rabbini meras hariolationes vocat CARPZOVIVS (i); et hoc tanto majori jure, cum nec Talmudici illud poenae genus admittant; et eodem dicente, alii Rabbini exemplum scortorum allegant, aggestis circumquaque fasciculis crematorum. (quando vixerunt isti Rabbini, et ubinam terrarum talis supplicii executionem viderunt?) Tutissime igitur hanc poenam tam immanem et ridicule atrocem nunquam in populo Iudaico usitatam fuisse, sed commentis Rabbiorum adnumerandam esse statuere possumus. Longe verisimilius habendum, combustionis supplicium, quod dicti Doctores vocant, aequae ac suspendium, consequens tantum fuisse lapidationis; Ita nimirum, ut quemadmodum alii lapidati post mortem suspendebantur, ita abominanda ista crimina septem priora, quae §. praec. et decem in hac §. recensita post lapidationem combustionem punita fuerint. Etenim Lev. XX, 14. verba legis sunt: *Qui duxerit mulierem et matrem ejus scelus est, igne comburento eum et eas*, et v. praec. II. 12. 13. nec non mox seqq. 15. et 16. crimina aequae detestabilia, immo magis execranda nominantur, quae sine dubio eodem modo luenda fuerunt; Et tamen de hisce dicitur: *morte morientur, sanguis illorum super illos*; qui loquendi modus ut plurimum de lapidandis usurpatur; unde ni fallor concludi debet, non nisi post lapidationem detestandos istos peccatores comburendos fuisse. Saltem vivum quemquam comburere nusquam claris

B 2

verbis

(i) in not. f, cit.

verbis mandatum legimus. Contra vero, quamvis ob aliud crimen, lapidati et dein combusti exemplum existat Iof. VII, 25.

§. V.

Tertia, vel secundum nuper dicta, secunda poena capitalis fuit הריגה seu *decollatio*, qua duorum generum malefici plectebantur: 1. homicidae nimirum et 2. incolae urbis ad idololatriam prolapsae. Peragebatur apud Judaeos hoc supplicium, ut apud plerasque gentes etiamnum, ense aut securi. Cum duo praedictorum suppliciorum genera, ut et ultimo nominatum, scilicet suffocationem, Synedrium haberet, jus per decollationem puniendi Regis fuisse proprium concludit laud. SCHICKARDUS (k.) ex verbis Majmonidis in *Halach melek: Interficiendi potestatem Rex non habet, nisi gladio tantum*. Huic contradicit CARPZOVIVS (l.) monens fallissimum esse, decollationem ita Regi propriam fuisse, ut potestas gladio puniendi Synedrio auferatur, et huic tria tantum suppliciorum genera concedantur. Verba igitur Majmonidis non recte sunt intellecta; nam ex ejus aequae ac Talmudicorum sententia Rex delinquentes quidem plectebat gladio, non tamen solus, cum idem et synedrio competeret. Hoc quae dictus auctor probat apertis *Mischnae Talmudicae* verbis in *Massech sanhedrin* Cap. VII. *Quatuor suppliciorum capitalium genera tradita sunt Synedrio: Lapidatio, combustio, decollatio et strangulatio*. Hoc vel eo nomine verisimile haberetur, quod, ut supra notatum, decollatio gravior fuerit poena, quam suffocatio, et tamen illam infligendi jus Rex solus haberet, lenioris vero executio ad totum synedrium pertineret. Ad maleficos hac poena plectendos quod attinet, non est dubitandum, quin inter Israelitas, ut alias gentes, homicidae saepe deprehensi fuerint, qui gladio vel securi vitam finire meruerint; sed totius civitatis ad idololatriam prolapsae incolas, eandem aliquando subiisse poenam est, cujus saltem in historia sacra nullum existat exemplum. Unicam vero familiam in tantum incidisse peccatum et tamen

(k) l. f. c.

(l) ibm. in not.

a poena immunem fuisse legimus Jud. XVII. Hocque tanto minus mirum, cum saepius eo tempore totum Israelem idolorum cultum suscepisse pateat. ibm. Cap. VIII. X. et XIII. quod inordinato sub iudicibus regimini fuit imputandum, secundum dicta supra §. II. Alias satis superque constat, sub imperio Regum horum jus puniendi satis fuisse illimitatum, et despotismo non diffimile cfr. cel. Equ. st. pol. et conf. aul. MICHAELIS (m), ut infantes etiam illorum nonnunquam experti fuerint faevitiam. Exemplum tetrum suppeditat historia Saulis i Sam. XXII. qui una die quinque et octoginta Sacerdotes gladio Doegi Edomaei trucidavit. Hinc suspecta merito eorum habenda veritas, quae a Rabbiniis de tanta synedrii auctoritate narrantur, ut in ipsos Reges animadvertendi potestatem habuerit. Ni forte post reditum e Babylonia ejusmodi introducta fuerit forma regiminis, cujus nulla in historia sacra vestigia observantur. At decollatio Iohannis Baptistae ab Herode Math. XIV. iussa aliud ut credamus svadet.

#### §. VI.

Ultimo denique nominatum supplicium, quod apud Hebraeos lenissimum habebatur, erat *suffocatio* illis פִּנּוּת nuncupata. Hoc qui subire debebant malefici, saepius cit. Goodwino recensente fuerunt: 1. qui patrem matremve pulsaverat. 2. qui animam ex Israele furatus erat. 3. Presbyter edicto senatus seu consistoriis obnitens. 4. mendax vates et qui vaticinabatur in nomine idoli. 5. qui cum alterius uxore concumbit. 6. qui cum filia sacerdotis rem habuit. Deprehenditur hic error qua nominatos, primo et quinto loco, tales namquae lapidandi fuerunt. Deut. XXI, 18-21. Cfr. §. III. Ritus strangulandi ex *Sanhedrin* C. 7. fol. 52. et Majmonide in *Sanhedrin*. C. 15. describit BUXTORFIUS (n): *immergebant eum in finum usque ad genua et linteum durum tenuiori et molliori insertum collo ejus circumligabant, quod testes ab utraque extremitate ad se tamdiu traherent donec animam exhalaret.* Haec igitur

B 3

(m) Mosaisch Recht. 1 Eb. §. 56.

(n) Lex. Ch. Talm. ad r. פִּנּוּת

strangulatio non peragebatur per, suspensionem, ut apud nos fures in patibulo suspenduntur, sed qualis etiam nunc apud Turcas usurpatur. Unde CARPZOVIVS (o) non confundendam monet strangulationem cum suspensio; Hoc, ait, non fuisse poenam, „sed poenae consequens, quod ostentui tantum fiebat in illis, qui supplicio dudum affecti erant. Sic lapidatus, „etiam suspendebatur, sed non suffocatus, nisi simul blasphemus vel idololatra exstitisset.„ Haec ille, contra quae tamen infra aliquid monendum. Ut poena haec suffocationis inter capitales fuit minima, ita saepius usitatam illam verisimile videretur. Imprimis, si supra allatus canon veritate non destituitur: ubi nulla specialis exposita est poena, semper intelligi debet suffocatio. Saepissime enim ubi delictorum in lege Mosaica mentio fit, additam legimus phrasin: *moriendo morietur*, per quam hoc mortis genus innui communis est Rabbimorum traditio. Quemadmodum per verba *sanguis ejus super eum* lapidationem intelligi, et deniquae *per vindicando vindicabitur* combustionem mandari putant. Has vero regulas non semper sibi constare probatu non credo difficile, hic tamen in medio relinquam.

#### §. VII.

Haec de quatuor illis, vel potius tribus Hebraeorum poenis capitalibus, de quibus multa scripsere Rabbin, breviter dicta sint. Addunt tamen nonnulli, vel potius, pro suffocatione, modo supra dicto peracta, suspensio substituunt; quamvis frustra illud supplicii adnumerari contendat alii vid. §. praec. dicta. Verum enim vero non desunt rationes, cur suspensionis poenam etiam apud priscos Hebraeos fuisse usitatam affirmari debeat, adeoque falso supra descriptam esse suffocationem, et potius eodem modo, quo apud nos fures in patibulo suspenduntur, eandem peractam fuisse statuendum. Saltem quatuor illa suppliciorum genera aliter, quam apud reliquos antiquitatum Hebraicarum scriptores obveniunt, recenset Targum in

(o) l. f. c.

in Ruth 1, 17. Ubi verba sunt: *Quatuor sunt judicia mortis innocentes: Injectio lapidum, crematio ignis, interfectio gladii et suspensio ligni.* Cum vero Targum illud incerti sit aevi, et non admodum probatae auctoritatis, hoc testimonium non multi facerem; at non desunt nonnulla scripturae loca, meam sententiam corroborare quae videantur: sic primarios populi (vel ut alii volunt idololatrias) coram sole suspendere jubetur Moses, ut avertatur ira DOMINI Num. XXV. 4. ubi nulla de lapidatione, vel alio supplicii genere praecedente mentio fit. Quin imo, quomodo poena suspendii executioni daretur, expresse, ni fallor, dicitur Deutr. XXI. 22. ubi obvenit rad. תלה. Haud igitur a veritate alienum puto, aut suffocationem per mappam, dum maleficus ad poplites usque fimo immersus staret, ad Rabinorum fabulas esse referendam (id quod immersio illa in fimum me suspicari finit), aut supplicium suffocationis duplici modo fuisse peractum, vel nim. dicta nuper §. praec. strangulatione per testes, vel sic, ut maleficus vivus super lignum suspenderetur. Utroque in casu essentielle poenae, scil. suffocatio aderat; alter tamen modus altero gravior, vel saltem cum majori probro et ignominia conjunctus reputari potuit, quem admodum nostro tempore quasdam apud nationes decollatio per securim, si non gravius, tamen turpius mortis genus habetur, quam gladio amputari. Ceterum ex allato paraphraseos chaldaeae testimonio nequaquam concludi potest, quod volunt nonnulli, supplicium crucis olim apud Hebraeos quoque fuisse in usu. Inprimis id ad probandum male provocatur ad 2 Sam. XXI. ubi septem filios Saulis crucibus affixos atroci mortis genere animas exhalasse narrari, sunt, qui putaverint. At, cur radici עקי hic v. 6. et 9. obvenienti notio crucifigendi tribuatur nullam video rationem. Et denique si vel maxime verum esset, supplicium crucis hic intelligi, non tamen inde conficeretur, illud etiam apud Israelitas tum fuisse usitatum; etenim non hi, sed Gibeonitae infelicis Regis infeliciores filios tali poena mactasse dicuntur. Ex historia alias satis patet, illos suspendio punitos esse, quod in eo tantum a poena suspendii Judaeorum differebat, quod per plures dies pependissent,


rint, cum apud Judaeos suspensi malefici, occidente sole, de ligno sepeliendi solverentur. De poenis Hebraeorum capitulibus summatim jam exposita, non admodum tetras et atroces easdem fuisse monstrant. In ista gente vivicomburia, rotifragia, discerptiones per quadrigas et familia supplicia, quae vel cogitare, summum humanae naturae incutiat terrorem, ignota fuerunt. Unde etiam divina legislatoris sapientia nec non cum hac conjuncta misericordia et in ipsos maleficos clementia elucet: ut justissime quaeratur:


מו גוֹ גְדוֹל אֲשֶׁר לוֹ הַקִּיּוֹם וּמִשְׁפָּטִים צְדִיקִים  
כָּבֵל הַתּוֹרָה הַזֹּאת אֲשֶׁר אָנֹכִי נָתַן לְפָנֶיכֶם הַיּוֹם

Deutr. IV, 8.

S. D. G.







[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)